

nulla adsit vrgens necessitas, vt ex dicendis facile constabit; adferendum ergo, quod hic eorum, quae in praecedentibus dicta fuerunt, adferatur ratio; Jam vero dixerat Apostolus v. 1. 2. huius Cap. quod cum Ebraeis suis iam derelinquere velit sermonem initii Christi, quod ea euangelicae doctrinae capita, quae alias reliquis fundamenti sunt substernenda loco, iam pertractare nolit, quod ad perfectionem, seu ad sublimiora doctrinae christianae capita iam sit progressurus, traditurus scilicet arduam istam de Jesu Christo pontifice summo doctrinam, hocque se facturum esse ait v. 3. si deus voluerit. Propositio ergo generalis, in tribus istis commatibus, quae locum nostrum praecedunt contenta, haec est: Si deo ita visum fuerit, iam ad altiora veniamus, derelictis doctrinae christianae elementis. His subiungit Apostolus v. 4. ἀδύνατον γὰρ τὴν ἀπαξ φωτισθέντας κ. τ. λ. patet ergo, quod hic rationem reddat, ob quam non tam prima christianismi rudimenta, quam sublimiora potius iam velit tradere; huius ergo rei hanc profert causam, quoniam fieri non possit, vt eos, qui semel fuerint illuminati, vbi excidant, et Christum sibi crucifigant, iterum renouet ad poenitentiam, etiamsi doctrinam de poenitentia, ac reliqua christianismi elementa denuo inculcet. Occurrit ergo hic Apostolus obiectioni, quam Ebraei contra argumentum huius epistolae potuissent proferre; satis enim intelligitur ex hoc ipso loco nostro, quod eo tempore, quo Paullus ad illos scripsit, fuerint inter eos, qui antea ad Christum vere conuersi, et gratia sanctissimi dei spiritus illustrati, a vera fide defecerint, et Christi acerimi facti fuerint hostes. Dicere itaque potuissent fideles Ebraei: cur christianae doctrinae altioris inda-  
 ginis